




# Hollandia

Kaart van Holland, Johannes Keerbergen, 1601 (1609/1612)

<https://hdl.handle.net/1874/20416>

HOLLANDIÆ COMITATVS.

55



12

HOL-22

## FRISIA.

FRISII veteribus fuerunt, qui littora Germaniæ Aquilonaria tenent; vna gens, vnis moribus, longo licet intervallo distans, per Germaniæ littora. Ab Hollandia enim in Occidentem sumpto initio, Orientem versus per Gelriam, Isalam Rheni brachium, Dioceses Traiectensem, Monasteriensem, & Bremensem, ad Albim fluuium vsque pertingit: Deinde ex latere Holsatiæ in Iutiam, quæ & Cimbrica Chersonesus, se flectit, intercisa aliquando paludibus (quas immensos lacus vocat Tacitus) aliquando maris sinibus. In horum sinibus *Amisia* fl. cuius meminit Tacitus, vulgò *Eems*, iuxta Emdam in Oceanum effunditur. *Iadera* amnis, cuius Ptolemæus meminit, qui Iada vulgò appellatur, Frisios lambit; à quo adiacens ora *Budiagen* dicitur. At *Vidrus* per Busactores nunc Westphalos, & Frisios in mare inter Rhenum & Amisiam fluens, Nigra vnda dicitur.

Hodie non tam latè patet eorum nomen, diuidunturque Amisia fluuiio, in Occidentales & Orientales. Occidentalis Frisiæ nomen quasi proprium sibi antiquissimo iure vindicat, ceterisque semper præstantior est habita. Olim enim regio diademate claruit, ad Caroli Magni vsque tempora. Sunt in ea quadringenti & nonaginta pagi, quorum nonnulli eximij privilegij dotati, colonis & diuitijs affluunt. Patet autem ab *Halæ* seu fossæ *Drusianæ* ostio ad Amisiam vsque fluuium: & *Ostergoam*, *Westergoam*, *Septem-siluas*, *Groeningam* inclutam urbem, cum circumiacenti territorio complectens, pecore pascuisque exuberans, & pagis atque ædificijs plusquam vlla alia regio exulta; cui *Transsalaria*, *Drenta*, *Tuenta*que iunguntur; *Regiones* pingui gleba exuberantes, ac pagis & ædificijs excultissimæ, pectorumque lato prouentu gaudentes. Totus hic Frisiæ Occidentalis tractus amplissimus, ad *ALBERTVM* & *ISABELLAM* Austriacos, iure hæreditario pertinet. Orientalis verò proprium habet *Comitem*, quem & *Emdanum* vocant.